

gularum artificialium h. e. artificialem procedendi modum completentium, non minus ac in Scientia fundamentali necessaria rei ipsius Veritas, quam regula supponit, confirmetur. Quod ex inspectione Artium accuratâ methodo traditarum obscurum esse non potest. Unde sicut nulla est Ars quæ suarum rerum Scientiam ex Philosophia non præsupponat; ita nobiliores earum & accuratiores præterea propriis usæ demonstrationibus, nim. artificialibus, Scientiam ipsæ formaliter includunt, inter quas eminent Logica, Logistica, Analysis speciosa, Geodesia, Sciagraphia &c. quæ propterea non immeritò ipsi Philosophiæ possunt accenseri, licet Artes reliquæ, quæ nullis utuntur propriis demonstrationibus, & quæ à Mentis perfectione remotiores sunt, à Philosophiâ excludantur.

Gradus Artium.

CAPUT XIV.

De Methodo Informandi.

§. I.

Abolutâ sic Disciplinarum tam constituendarum, quam tradendarum methodo, restat ut de methodo Discen-
tiæ, qua constitutæ jam & traditæ Scientiæ feliciter apprehendi possint pauca subjiciamus. Ubi quidem facile quivis intelligit, singulas Disciplinas sigillatim spectatas, ut perfectè sciantur, eadem methodo apprehendendas esse quæ traduntur, esto quod primâ vel alterâ vice percurrento Scientiam non omnia soleamus nec etiam possumus ad vivum referre. Quænam verò Disciplinæ prius quæ posteriùs apprehendendæ sint, ut totam Philosophiam, aut partem ejus nobis præcipuam, feliciter absolvamus, non omnes æquè norunt.

Methodus
Discendi est

(1) Particularis.

(2) Universalis.

§. 2. Certum autem est, si quis ejus ætatis fuerit, ut naturali judicio, per conversationem civilem excitato potius quàm corrupto, perfecte possit uti, eum totam Philosophiam, linguâ familiari sic methodicè traditam, sub fideli inductione Præceptoris eadem serie felicissimè apprehendi posse, qua Naturæ ductu Disciplinæ se mutuò insequuntur, ut cap. 10. superius ostendimus. Aliud autem est, quando pueris adhuc imbecillioris judicii progymnasmata quædam præ-

Adulterum,

Phetorum.

præ-